



DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
CESSIONE EORUM
QUÆ AD HEREDES NON
TRANSEUNT, ET CONTRA,

²⁵
^{1709, 6}
DIVINA FAVENTE GRATIA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRID. WILHELMO,
REGNI BORUSSICI ATQVE ELECTORATUS BRAN-
DENBURGICI HEREDE &c. &c.
EX DECRETO ET AUCTORITATE MAGNIFICI FCTORUM ORDINIS
IN ALMA VIADRINA,
PRÆSIDE

VIRO PERILLUSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
DN. HENRICO COCCEJO,
JCTO CONSUMMATISSIMO,
AUGUSTI ATQVE POTENTISSIMI BORUSSIÆ REGIS
CONSILIARIO INTIMO, FACULTATIS JURIDICÆ ORDIN.
ET ANTECESSORE PRIMARIO,
h. t. REGIÆ UNIVERSITATIS PRO-RECTORE
MAGNIFICO ET FACULTAT. SUE DECANO,
DOMINO ATQVE FAVORE SUBMISSO CULTU PROSEQUENDO,
Ad D. Sept. Horis ante- & pomeridianis An. MDCCIX.
Publico Eruditorum examini submittit

JO. FRIDERICUS ZANDER,
Stralsundens. Pomeran.

FRANCOFURTI AD VIADRUM,
Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

CESSIONE FORUM
QUE AD HEREDES NON
TRANSEUNT ET CONTRA

DIVINA FACIENS GRATIA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
HENRICHIO RASCHKE AD DOMINO
DR. FRID. WILHELMO
REGNI BOHEMIE ALEXANDER
DENERGICHER HEREDITARIUS
PROFESSOR ET ACADEMICUS
IN ALMA VIADRINA
PRÆSIDE

PROFESSOR ET ACADEMICUS
DR. HENRICO COCCIO
ICHO CONSUMMATISSIMO
AUGUSTINO COTTENRAT BOHEMIE REGIS
CORRADO WILHELMO ALEXANDER
ELECTORE TRAVNICO
DE REGNI UNIVERSITATIS PRO-RECTORE
FRANCO A FACULTATE DECANO
LUDWIGO WILHELMO ALEXANDER
SACRÆ THEOLOGICÆ FACULTATIS
PROFESSOR ET ACADEMICUS

IO. FREDERICUS SANDER
FRANCOERTI A VIADUM
LUDWIGO WILHELMO ALEXANDER

FRANCOERTI A VIADUM
LUDWIGO WILHELMO ALEXANDER





2. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
CESSIONE EORUM QUÆ AD HE-
REDES NON TRANSEUNT, ET
CONTRA.



Si qua est Juris mate-
ria, quæ utilitate se
commendat, & tum in
commerciis frequentis-
sima, tum multis con-
troverfiis est involuta
atq; difficultatibus, sane
illa de actionum cession-
ne est præcipua. Ea et-
iam causa fuit, ut à Præ-
stantissimis ævi nostri

Jctis, integris tractatibus illustrata fuerit atque ex-
ornata; Maxime vero egregiam præstiterunt ope-

A 2

ram,

* (4) *

ram incomparabile illud Frisæ decus, Joannes à Sande, & Celeberrimus Universitatis hujus quondam Antecessor Beat. Dn. Brunnemannus. Neque tamen defunt, quæ quasi racemationis instar carpi adhuc & colligi possint; verum, cum id quoque prolixioris sit instituti, quam rerum nostrarum ratio permittit, aliquam saltem particulam pro Disputatione Inaugurali delibasse sufficet. Præcipue vero illum, ancipitis adeo & agitativissimæ quæstionis, articulum exponere è re visum est: An & quatenus valeat cessio eorum, quæ personis coherent, & cum iis intereunt, vel transire quidem ad heredes, non tamen cedi possunt. Cui labori ut gratia sua adfit, Deum T. O. M. supplices veneramur.

CAPUT. I.

DE

NATURA CESSIONUM IN GENERE.

SUMMARIA.

- | | |
|---|---|
| <p><i>S. I. Nomina à personis separari non possunt, adeoque ex ratione juris nec cedi.</i></p> | <p><i>IV. Plenius autem ab Imppetri consultum fuisse per utiles actiones.</i></p> |
| <p><i>II. Modus primum inventus fuit interpretatione fctorum procuratorem in rem suam faciendo.</i></p> | <p><i>V. Eas non ex cessione oriri sed ex causa cessionis.</i></p> |
| <p><i>III. Id salva ratione juris fieri potuisse.</i></p> | <p><i>VI. Declaratur Exemplo.</i>
<i>VII. Cessio in nominibus id est, quod traditio in rebus.</i></p> |

S. I.

Cessiones nominum inventæ sunt quodammodo
 contra rationem juris civilis, ut quemadmo-
 dum res ipsæ, ab uno in alterum, de Domino
 in Dominum transferuntur, ita & actiones persona-
 les ac nomina possent, licet illæ personis inhæreant.
L. 3. pr. ff. Pro Soc. Unde Doctores vulgo dicere so-
 lent, eas infixas esse ossibus & medullis creditorum
 ac debitorum, eosque sequi, ut lepra leprosum. *Myns.*
ad S. omnium. 1. num. 16. & seqq. Inst. de Action.

§. II.

Primum illa actionum ^m cumulatio tentata fuit
 interpretatione Actorum; ut creditor mandet actionem
 alii, veluti procuratori, ea tamen lege, ut e-
 ventus ad eundem spectet, isque adeo fiat Procura-
 tor in rem suam; per *L. 2. §. fin. ff. Mandat. L. 2. §.*
fin. L. 3. ff. Fam. Erc. L. 4. L. 9. C. de Procur. L. 23. ff.
de Hered. vel act. vend.

§. III.

Hoc fieri potuit salvâ juris ratione: etsi enim
 actiones personales a creditorum personis divelli ne-
 queant, tamen moveri seu institui possunt, etiam
 per Procuratores, quippe quos in personalibus per-
 inde ac in aliis causis intervenire posse, constat. *L. 1.*
pr. ff. An per al. Caus. app. L. 1. §. 2. ff. de Procurat. &c.
 Etsi vero illi non suo sed cedentis nomine agant,
 atque huic omne commodum litis cedat; ipse ce-
 dens tamen hoc commodum sibi ipso jure ex senten-
 tia quæsitum, per pactum seu legem cessionis alteri
 permissit; uti cuilibet de suo jure & commodo sta-
 tuere licitum est. *L. 20. §. 1. ff. de Pact. dot.* Hactenus

igitur actio ipsa non est mutata, & nec ab actoris persona recessit, nec in cessionarium transiit, sed actionis tantum commodum & effectus in eum transfertur. *L. 4. C. de Procur. L. 13. §. 1. ff. L. pen. C. de Her. vel Act. Vend.*

§. IV.

Deinde vero multo latius ac plenius ei rei prospectum est per Imperatores, ex quo D. Pius utiles actiones Procuratori cessionario concessit, ita, ut eas suo quoque nomine intentare possit. *L. 55. ff. de Procur.* Qua ratione factum est, ut non commodum tantum actionis, sed actio quoque ipsa proprio jure in Procuratorem transfret, quamvis utilis tantum; adeo ut concurrente licet Domino, Procurator tamen agendo preferatur. *L. 55. ff. de Procur.* Sic igitur duplici modo prospectum est cessionario, ut vel utiles nomine suo, vel directas nomine cedentis quidem, sed in suam rem instituat *d. l. pen.*

§. V.

Hæ ergo actiones utiles non oriuntur ex cessione, sed ex causa cessionis v. g. ex vendito, locato &c. etiam ante cessionem, quin et si cessio nulla facta fuerit, quia actione venditâ, donatâ, legatâ, statim utiles actiones nascuntur. *L. 23. ff. de Hered. vel Act. vend. L. 4. L. 7. L. 8. C. eod. Tit. L. fin. C. Quand. fisc. vel priv. &c.*

§. VI.

Igitur vendita v. g. Conditione ex mutuo, datur emtori & utilis condictio ex mutuo contra debitorem, ad repetendam pecuniam mutuatam, & directâ actio emti contra venditorem ad cedendam actionem.

tionem ex mutuo: & actione venditi tibi vendita
actio directa emti tibi detur contra venditorem ad
cedendum actionem venditi, & actio utilis venditi
contra emtorem ad precium *dd. ll.*

§. VII.

Hinc itaque cum cessio idem fit in nominibus
ac traditio in corporibus. *L. 4. C. de Hered. vendit.*
patet, omnia quæ vendi & alienari possunt, etiam
cedi posse: de quo in sequentibus.

CAPUT. II.

UBI REFERUNTUR SENTEN-
TIÆ DOCTORUM.

SUMMARIA.

- | | |
|--|--|
| <p><i>§. I. An à Cessione ad trans-
missionem, reciproce argu-
mentari liceat, & negative
& affirmative?</i></p> <p><i>II. Doctores argumentationem
negativam non affirmati-
vam admittunt.</i></p> <p><i>III. Dn. Lauterbach. utramq;
reiiicit.</i></p> <p><i>IV. Dn. Brunnemannus utram-
que defendit.</i></p> <p><i>V. Et priorem regulam de ne-
gativa munire conatur le-
gibus.</i></p> | <p><i>VI. Respondet ad rationes
Dn. Lauterbachii.</i></p> <p><i>VII. Alteram regulam de af-
firmativa confirmat.</i></p> <p><i>VIII. Iterum Dn. Lauterba-
chii rationes impugnat.</i></p> <p><i>IX. Affirmativam quoque
affirmativè converti posse
asserit Dn. Brunnemann.</i></p> <p><i>X. Negative converti posse
negat.</i></p> <p><i>XI. Cautelam denique ad-
dit.</i></p> |
|--|--|

CUm vero quædam sint jura, quæ adeo coherent personis, ut cum iis penitus extinguantur, & nec ad heredes eorum transeant, maximopere de his quæritur, an cedi tamen aliis possint: Et contra, an quædam non cedi, quæ transeunt ad heredes? Seu, An cessiones & transmissiones ad heredes ratione rerum ita comparantur, ut valeat illatio ab uno ad alterum utrinque seu reciproce, idque & negativè & affirmativè?

§. II.

Doctores admittunt argumentum à transmissione ad cessionem negativè; & hanc regulam faciunt: *Quicquid non potest transmitti ad heredes, id nec cedi potest.* Affirmativè vero id procedere pleriq; negant, neq; recipiunt hanc regulam: *Quicquid est transmissibile, hoc etiam est cessibile.* *Tiraq. de Retract. lignag. §. 26. gl. 1. n. 48. Berl. Dec. 167. n. 13. in part. 2. Lentz. de Nom. & Act. cess. Cap. 19. memb. 2. n. 1. & n. 6.*

§. III.

Dn. Lauterbachius *ad Tit. de Her. vend. pag. 328.* contendit, argumentum a transmissione ad cessionem seu regulam prædictam neque negativè procedere neque affirmativè: Non negativè, quia multa sunt, quæ morte finiuntur, de quibus tamen vivus disponere potuit. *arg. L. 12. §. 2. L. 67. ff. de Usufr.* Non affirmativè, *arg. L. 2. C. de Litigios. res enim litigiosa cedi nequit aut alienari, ad heredes tamen transmittitur.*

§. IV.

* (9.) *

§. IV.

Dn. Lauterbachio contradicit Beat. Dn. Brunnemannus de Cess. Act. cap. 4. n. 20. & seqq. ubi asferit argumentum seu regulam, & negative & affirmative procedere; & utramque hanc regulam probat: (1) Quod non potest transmitti ad heredes, id neque cedi potest: d. l. n. 21. Et (2) Quod est transmissibile, illud est cessibile. d. l. n. 22. & utramque uberius defendit d. n. 22. & seqq.

§. V.

Pro priore afferuntur textus, in L. 42. ff. de Oper. lib. L. 67. §. 5. ff. de Rit. nupt. L. 42. ff. de Adm. tut. c. 8. de Reg. Jur. in 6. & ratio, quod ad succesores singulares devolvi nequeant, quæ ne in heredes quidem possunt: Heredes enim, quippe succesores universales, amplissimo & prolixissimo jure frui, ipsamque defuncti personam præsentare, ejusque vices in universum gerere; & ad illos adeo multo facilius jura transire, quam ad succesores singulares d. n. 21. Quin & ipse Jctus in l. 42. ff. de Adm. Tut. ab uno jure ad alterum arguere atque inferre expresse videtur.

§. VI.

Ad rationem vero Dn. Lauterbachii, ab exemplo usufr. ductam, respondet: *Ea declarari regulam, quod illa non de cessione temporaria, & ad dies vite, quam largiri liceat in usufructu, sed de vera & perpetua loquatur.* talem vero in exemplo usufructus nunquam deprehendi posse; cui addit, quod cessio usufructus nudam tantum commoditatem concedat. d. n. 22.

§. VII.

Alteram regulam prælaudatus Dn. Brunnemannus

B

nus

* (10.) *

nus, hoc argumento communit, *Quod quicquid per testamentum transferri potest, etiam transferri per pactum inter vivos possit d. n. 22. & provocat ad exempla quae n. 33. & n. 69. recenset. Denique, ita hoc explicat, ut intelligatur transmissibile non tantum ad consanguineos, sed ad omnes heredes, etiam extraneos d. n. 22.*

§. VIII.

Ad ea vero exempla, quae a Dn. Lauterbachio in contrarium allata sunt, regerit, ea à singulari ratione, specialisque juris esse, & proinde ipsam regulam non pervertere, sed exceptiones à regula indicare: atque ita res litigiosas & fideicommissum universale ad exceptiones pertinere &c. d. n. 22. Hæc enim exempla sunt quibus Dn. Lauterbachius utitur, & de rebus litigiosis quidem constat, ut dictum: de fideicommissis vero universali quid sentiendum Cap. 4. exponetur.

§. IX.

Præterea quærunt, an & converti illæ regulæ possint, & posterior affirmative è converso quoque pronunciari: *Quod est cessibile, idem esse transmissibile: Quod & ipsum admittit, sæpius merito suo jam laudatus Dn. Brunnemannus d. n. 22. & omnia quae per cessionem transferuntur, quorumque cessio post mortem etiam cedentis in futurum prodest, ad heredes etiam transmitti, cum facilius favorabiliorque sit translatio per successionem universalem, quam particularem.*

§. X.

E contrario vero reiicit negative conceptam eandem propositionem universalem: *Quicquid non est cessibi-*

cessibile, nec esse transmissibile: Ac neminem ea universaliter usum esse asserit. Plane enim ex eadem ratione, hæc reiici videtur, qua superior admisa fuit.

§. XI.

Denique cautela loco addit, in iis qua personæ vel rei deferri dicuntur, non attendendum esse ad subiectum vel terminum actionis, sed ad causam cur tribuatur, & ad modum, qui ex qualitate personæ sumitur; adeoque id jus personale cedi non posse quod mere est personale, & simpliciter personæ cohæret; Secus esse si personæ propter rem. *Conf. Marpurg. Vol. 3. Conf. 21. n. 233.* Atque hæc est sententia Summi Jcti, & hæc controversiæ Dd. in hac materia; de qua re quid nobis videatur, Cap. seq. tractabitur.

CAPUT. III.

UBI VERA SENTENTIA EX-
PONITUR.

SUMMARIA.

- | | |
|---|---|
| §. I. Regule de illatione ab una materia ad aliam, infirmo nituntur fundamento. | nequeunt. Prius illustratur exemplis. |
| §. II. Est enim nec solida, nec tuta. | §. IV. Posterioris generis afferuntur exempla. |
| §. III. Jura qua morte finiuntur, differunt à juri- | §. V. Interdum jura illa concurrunt. |
| bus qua à personis avelli- | §. VI. Quod exemplo usufructus perpetui explicatur. |

B 2

§. VII.

§. VII. *Cessio jurium quæ morte desinunt, effectum habet quoadusque cedens habuisset.* §. IX. *Nullum ita superesse dubium videri.*
 §. VIII. *Ut autem cedi possit, non facit transmissio.* §. X. *Neque ob stare argumeta secus sentientium.*
 §. XI. *Nec textum in L. 42. ff. de Adm. Tut.*

§. I.

UT igitur quid in hac controversia sentiendum nobis videatur, planius fiat, fatemur equidem, fragiles nobis & lubricas videri illas regulas, quibus argumentum ab una materia ad aliam duci debere generaliter traditur, ideo quod aliqua inter eas appareat similitudo, etsi principis dissideant: Uti cum docent, à liberto inferri ad Vasallum, ab Emphyteusi ad feudum, & sic de innumeris aliis, quibus refertus est tractatus *Eberhard. de loc. legal.* Etenim & in plurimis fallunt & vacillant nimium; & tum quoque, cum non titubat illatio, id ab accidenti tantum & à casu contingit, nec inde est, quod ea sit materiæ illius potestas ac natura, ut inde inferendum sit ad alteram; sed quia in utraque materia quædam inveniuntur, quæ ab eadem ratione ducta, & ab eodem fonte derivata sunt. Igitur ab hac ratione ejusque similitudine, non vero à materia ad materiam arguendum erat. Uti Vasallus & Emphyteuta conveniunt in utili dominio; Quoties igitur ab utili dominio ratio ducitur, idem in utroque jus est, non quia argumentum ab uno ad alterum valet, sed quia à dominio utili ad utrumque æque inferitur.

§. II.

Quod igitur prædictas regulas, quibus à trans-
missione ad cessionem, vel contra, affirmative aut
negative concludendum dicitur, pace tam Illustri-
um J.Ctorum, quorum sacra nobis est memoria &
veneratio, liceat profiteri, nec solidum id, nec tu-
tum, quin à veris discurrendi & ratiocinandi modis
alienum esse: cum constet aliis principiis niti actus
inter vivos; aliis ultimas voluntates aut actus legis;
qua hereditates devolvuntur. Neque ergo valet ar-
gumentum ab uno ad aliud, sed si aliqua re conven-
niant, ab ea ratione ad utrumque: v. g. Si de re quæ
in commercio non est agatur, idem in utroque jus
est. *Vid. L. 39. §. 8. & seqq. L. 41. §. 2. de Legat. 1. L.
49. §. 2. & 3. ff. de legat. 2. junct. §. 2. de Inut. stip. l. 69.
l. 83. §. 5. l. 103. l. 34. ff. de verb. Obl.*

§. III.

Inprimis igitur observandum est, aliam esse
quæstionem de juribus, quæ morte finiuntur, aliam
de iis, quæ personæ ita cohærent, ut ab iis separari
aut avelli nequeant. Ut morte finiantur, variis ex
causis fieri potest, v. g. pacto personali, conditione
testamenti, dispositione legis &c. non ideo, ne à per-
sona recedant, sed ideo ne in perpetuum durent,
aut differantur. Uti de Usufructu dicitur, quod i-
deo morte finiatur, *ne in universum inutiles & steriles
essent proprietates, semper ab cedente usufructu.* §. 1. *in fin.
de Usufr. Conf. infr. §. 5.* Ita si quid mihi promiseris
ad dies vitæ meæ, morte mea finitur, sed me vivo
alii cedi potest. *L. 21. pr. ff. de Pact.* Actiones pœ-
nales morte tolluntur, interim tamen dum durant,
à vivo

* (14) *
à vivo alii cedi possunt. *L. 14. pr. de Furt. L. 31. pr. ff. de Aft. Emt. & ita de aliis. Operæ cedi possunt L. 2. ff. de Usufr. leg. morte tamen cesant. Ces- sione igitur hæc jura transeunt, sed non ultra quam cedens habiturus fuisset, adeoque morte ejus fi- niuntur. dd. ll.*

§. IV.

Ex adverso, ne à personis jura distrahantur, itidem varie statui potest, non ideo ne ultra vitam personæ durent, sed ut omnes alii inde excludan- tur. Ita jura agnationis, & interea jus retractus gentilitii, à personis agnatorum separari adeoque ex- tranco cedi nequitiam potest, non tamen morte fi- niuntur, sed agnato proximio mortuo ad reliquos omnes agnatos jure perpetuo pertinent, donec a- gnati supersunt. *2. F. 26. §. Titius & ibi Dd. L. 3. ff. de Interd. & releg.*

§. V.

Pari ratione fit, ut utraque ratio concurrat, & jura tum morte finiantur, tum à persona insepa- rabilia sint, uti in exemplo ususfructus de quo di- ctum est *supr. §. 3.* ideo placuisse ut morte finiretur, ne in perpetuum duraret, eoque proprietates pror- sus steriles & inutiles efficeret. *d. §. 2. de Usufr. Præ- terea vero quòque constitutum est, ne jus ipsum à persona abiret, indeque ita id formatum est, ut non nisi in facto persona, substantia ejus consisteret, L. Un. pr. §. §. seqq. ff. Quant. dies Usufr. leg. ced. nec a- deo distrahi inde sine sui interitu. possit. §. pen. de Usufr. et si fructus & commoda aliis concedi possint. L. 12. §. 2. l. 38. l. 40. l. 67. ff. de Usufr.*

§. VI.

* (15.) *

§. VI.

Enimvero sunt & Ususfructus perpetui, qui morte unius non extinguuntur, arg. 2. §. F. 33. in fin. sed extincta demum familia, vel iis gradibus ad quos restrictum est, uti emphyteusis, quæ ne in infinitum æternaret, & spem omnem consolidationis excluderet, ad liberos emphytevtæ, aut alios gradus restringi solet. Horum igitur morte finitur, ne ulterius duret; at interim tamen alii cedi semper potest. *L. fin. C. de Jur. Emph.* & ex ea cessione transfertur jus in alios, quousque ipse cedens habiturus fuisset & saltem ad tempus vitæ ipsius, vel dum heredes ejus, qui successuri essent vivunt. 2 2 F. 78. 83. & 89. arg. l. 67. §. 3. & 4. ff. de legat. 2.

§. VII.

Igitur perpetua hæc ratio est eorum jurium, quæ morte unius vel plurium desinunt, ut interim tamen cedi possint aliis, effectumque ea cessio habeat, quoadusque cedens jus habiturus fuisset, si non cessisset. Id enim natura satis notum est, neminem plus juris in alium transferre posse, quam ipse habet, per *L. 20. pr. ff. de Adqu. rer. Domin.* neque aliis ultra relinquere, quam ipse habere potuisset. Æque enim plus tradit, qui quod tempore quam quod re plus concedit. *Arg. §. 33. vers. plus autem de Action.*

§. VIII.

Indubitatum ergo omnino est, prædictas illas regulas nihil ad eam rem de qua agitur, seu ad solidam harum quæstionum decisionem facere, sed ab alio capite fluere impedimenta transmissionis ad heredes;

* (16.) *

redes; neque adeo ab uno ad alterum propria vi argumentum duci posse, sed si quā occurrat inter ea jura similitudo, eam ab ista utrique communi ratione esse, non ab argumento materiæ unius ad aliam. Ut adeo in proclivi iudicium sit, quantum hallucinationum & abusuum ab hujusmodi aberratione à vero fonte scaterere necessum sit: A tota enim re aberrari necesse, & si verum quis sentiat, à casu est: Ex adverso si ei insistitur, error à casu & vitio hominis erit.

§. IX.

His vero ita explanatis, omnia è contrario adeo plana sunt, ut de nulla earum quæstionum, quæ Doctores adeo in plures sententias distraxit, videatur vel lis, vel dubitandi causa relicta esse, ut *Cap. seq.* apparebit. Id vero omnium iudicio sententiisque melioribus salvis, salvaque ætatis verecundia dictum volumus.

§. X.

Neque adeo negotium nobis facescit ratio illa, quæ *supr. Cap. 2. §. 5.* proposita, & negata transmissione ad heredes etiam cessio ideo negata fuit, quia heres successor universalis est, & personam defuncti sustinet, ejusque adeo jus amplius & potentius videtur, quam successoris singularis inter vivos. scil. hoc ipso quam maxime confirmatur, id quod jam diximus; non id a transmissionis argumento esse, sed à communi illa ratione, quod res quæ à personis inseparabiles sunt, alienari non possunt; alienatione enim plane separatur & transfertur jus de persona in personam. Ex hac vero communi ratione

ratione demum certissime consequens est, cum inseparabilia à persona, neutiquam alienari possint, ea nec cedi posse, nec in heredes transferri, quia utrumque est species alienationis prohibita. Cæterum bona patris per hereditatem nec naturales liberi, nisi certo modo, nec spurii, nec adulterini aut incestuosi capere, quin nec peregrini ac deportati, vel perduellium filii, ullam acquirere hereditatem potuerunt; at cedi eis omnibus inter vivos potuit. Nihil igitur nisi communi aliquo rationis vinculo illa coherent, quæ sola iis, qui solidas decisiones quarunt, inspicienda est.

§. XI.

Neque movet textus in *L. 42. ff. de Admin. Tut.* Non enim ibi ut volunt, ab uno ad aliud arguit Iustus, sed utrumque à communi ratione ducit, scilicet quod solius personæ non causæ intuitu datum; inde enim recte infertur, tum quod cedi, tum quod transire ad heredes non possit. *Vid. Cap. seq.*

CAPUT IV.

UBI APPLICATIO FIT AD SPECIES CONTROVERSAS.

SUMMARIÆ.

- | | |
|--|--|
| <p>§. I. Quæ a personis avelli nequeunt, cedi, aliis non possunt.</p> <p>§. II. Quædam naturæ a personis separari non possunt.</p> | <p>§. III. Quædam dispositione lege sunt inseparabilia.</p> <p>§. IV. Alia beneficia ob singularem conditionem personis quidem sunt indulta, sed ita</p> |
|--|--|

C

ut

- ut rei vel cause cohereant.
- §. V. Hæc cedi & transire possunt, quia causa, quam sequuntur, transit.
- §. VI. Etiam pæne transeunt si actioni transmissibili sunt conjuncta.
- §. VII. Alia beneficia intuitu solius personæ concessa nec aliis causis connexa sunt.
- §. VIII. Prioris generis beneficia transire & cedi possunt. Posterioris generis non item.
- §. IX. Fundamentum hujus differentie demonstratur.
- §. X. Talia beneficia intuitu tantum personæ data, nec causis connexa, sunt: benefic. competentia, militum, studiosorum, Clericorum &c.
- §. XI. Jus retractus gentilitii, non conventionalis.
- §. XII. Usus quin & ususfr. & habitatio quoad ipsum jus personæ, non quoad commoda.
- §. XIII. Alimenta, Interdictum de uxore & liberis exhib. & duc.
- §. XIV. Opera libertorum re-
- verentiales, non fabriles & it. servitia feudalia, & quat.
- §. XV. Jus proximefios venditâ emphytevsi.
- §. XVI. Neque privilegia personalia cedi, nec transire possunt, ut specialis concessionis, imperium merum, de quo diff. Dn. Brunn.
- §. XVII. Hinc quid inferendum.
- §. XVIII. Differentia inter privilegia uxorum & pupillorum & inter privilegia fisci.
- §. XIX. Privilegia hypothecarum coherent hypothecis. Privilegia uxorum & pupillorum non item.
- §. XX. Beneficia Ecclesiastica promiscue cedi non possunt.
- §. XXI. Huc non pertinet, quòd actiones criminales, & populares cedi nequeant.
- §. XXII. Res litigiose cedi nequeunt.
- §. XXIII. Omnes actiones, cedi possunt, si contineant causam quæ potest.
- §. XXIV. Actio injuriarum estimatoria potest cedi.
- §. XXV.

- §. XXXV. Etiam querela inof-
ficiofi.
- §. XXXVI. Simili ratione actio
ingrati.
- §. XXXVII. Pariter quoque fi-
deicommissum, etiam uni-
versale.
- §. XXXVIII. Solvitur objectio.
- §. XXXIX. Nihil obstat textus
in L. 59. §. 1. ff. de Jur. dot.
- §. XXX. Jus adeundi heredi-
tatem aut se immiscendi ce-
di potest.
- §. XXXI. Non minus jura pri-
mogenituræ & majoratus.
- §. XXXII. Primogenituræ
- cessione etas ipsa non intel-
ligitur.
- §. XXXIII. Cessio primogeni-
tatis certa valet ratione.
- §. XXXIV. Jus annuorum re-
dituum a debitore seu ven-
ditore non recte cedi dici-
tur contra Dn. Lauterb.
- §. XXXV. Privilegia hypothe-
cæ tacitæ cedi possunt.
- §. XXXVI. Sententia D. Brun-
nem. de Cessione hypothec.
probat.
- §. XXXVII. Jura arresti ob-
tenti interdicta &c. cedi
possunt.

§. I.

UT jam ea quæ dicta sunt ad præcipuas quæstio-
nes & species applicentur, ex præmissis di-
cimus, ea cedi non posse, quæ ita personis co-
hærent, ut ab iis divelli nequeant, sive alias in here-
des transeant, sive non transeant. Talia vero sunt,
quæ vel natura ita cohærent, vel ex dispositione ho-
minum publica aut privata, v. g. lege, pacto &c.

§. II.

Naturâ inseparabilia sunt, jura propria familiæ,
patrisfamilias, mariti &c. quæ proinde aliis cedi non
possunt. Etsi enim paterfamilias filium alii in ado-
ptionem dare possit, qui tum fit paterfamilias, ille ta-
men jura patriæ potestatis non consequitur a cessio-

ne, sed ab adoptione solenni atque adeo ab auctoritate publica ex forma legis rite facta.

§. III.

Lege vero vel ex dispositione hominis separari à personis non possunt jura illa ac beneficia personis ita tributa, ut sola conditio personæ locum fecerit beneficio, non vero si intuitu quoque causæ vel patrimonii concessum. *per l. 68. ff. de Reg. Jur. l. 42. ff. de Adm. tut. l. 8. §. 3. de Lib. leg.*

§. IV.

Quod ut evidentius appareat, advertendum est, quædam esse beneficia, quæ quidem itidem personis ratione singularis suæ conditionis indulta sunt, sed ita ut cohæreant remediis juris ob rem cõpetentibus: hæc ergo remedia, si cedi vel ad heredes transire possunt, etiam privilegia iis annexa unà transeunt. *dd. II.* Ita si minor actionem amisit, quæ tamen ei per restitutionem ex capite ætatis salva est; hanc itaque filii cedat, cum integram effectum ipse habeat; integram quoque cedit, id est, cum annexo suo beneficio: *L. 24. pr. ff. de Minor.* Quæ eadem quoque ratione accidit, ut, cum actio ista ad minoris heredes transeat, cum suo beneficio illa transeat. *l. 18. §. fin. l. 19. ff. eod. tit. l. un. C. si adv. dot.* Similiter fit in obligationibus fœminarum ex intercessione, & filiorum familias ex mutua pecunia, quæ utique in heredes eorum transeunt; unde cum illæ penitus inefficaces sint ex SCTis Vellej. & Macedon. tales etiam in heredes transeunt scil. inefficaces; id est cum beneficiis conjunctis. *l. 7. §. 1. ff. de Except.*

§. V.

Quando igitur beneficium ætatis, sc. restitutio,
vel

vel Scti Vellej. aut Macedon. transire ad heredes dicitur, nihil aliud intelligitur, quam transire obligationes cum affixis suis beneficiis. Etsi enim hæc intuitu ætatis, sexus, vel potestatis dentur, sequuntur tamen causam cui coherent. *Vid. ll. alleg. sup. §. 3.* Ideoque hæc beneficia dicuntur cedi posse & transire ad heredes, quia causa, quam sequuntur, aut quæ actione ipsa continetur transit. *Conf. §. 23. in fin.*

§. VI.

Idque adeo perpetuum est, ut pœnæ ipsæ quoque, etiamsi omni jure suos tantum teneant autores *l. 22. C. de Pœn.* si tamen conditio earum actioni in heredes transitoria conjuncta sit cum ea & ipsæ transeant, ut *in l. 3. §. 5. ff. Quod quisqu. jur.*

§. VII.

Alia vero sunt beneficia personalia, quæ solius personæ intuitu concessa sunt, nec aliis remediis vel causis implexa sunt; uti iterum beneficium minorum & pupillorum quo aliis creditoribus præferuntur. *l. 17. §. fin. & ll. seqq. ff. de Reg. aut. Jud.* Item privilegia uxorum ratione dotis. *l. un. C. de Priv. dot.* Hæc enim privilegia distincta & separata sunt a causis seu actionibus; & hæc actiones ceduntur per se integræ & salvæ sunt citra beneficium, & hinc transeunt, tum in cessionarium, tum in heredem, sine ope beneficii, quod proinde cum causæ immixtum non est, adeoque soli personæ cohæreat necesse est. Atque hinc est, quod nec cedi illud possit, nec in heredes transire; ut perspicue in additâ quoque ipsa hac ratione traditur *in l. 42. ff. de Adm. tut. & in d. l. un. C. de Priv. dot.*

§. VIII.

Mirum igitur jam videri non potest, cur beneficium

cium restitutionum minorum, & intercessionum fœminarum ad heredes transire & cedi possint; beneficia vero eorundem minorum, & earundem fœminarum, quibus præferuntur aliis creditoribus nec transire ad heredes nec cedi possint: etsi utraque intuitu ætatis & sexus, rei maxime a persona inseparabilis, dentur.

§. IX.

Scilicet ea est obligationum ex contractu natura & conditio, ut & cedi & ad heredes transire possint. *tot. tit. de Hered. & Action. vend. & tot. tit. Inst. de Action.* Cum vero minor contrahit, fœmina intercedit, filius familias mutuum pecuniam accipit, non nascuntur inde aliæ obligationes, quam initio statim inefficaces ob beneficia restitutionum & Senatus Consultorum, quæ proinde iis inhærent & quasi connata sunt. Non possunt igitur illæ transire ad alios, quam quales initio natæ sunt, sc. inefficaces propter beneficia annexa, adeoque non nisi cum beneficiis admixtis. Verum in altera specie, ea actionum conditio est, ut per se validæ sint & subsistant, adeoque tales quoque naturam suam transeunt; Privilegium vero eo tantum pertinet, ut præterea aliis quoque præferantur: Id ergo separatim quid est ab actione & solius personæ contemplatione ac favore concessum: Id ergo cum non recedat à persona, nec cedi alii, nec transire ad heredes potest.

§. X.

Talia itaque beneficia, quæ unice intuitu conditionis personæ data sunt, nec cum remediis seu causis cohærent; sunt beneficium, quod vocant, competentiam, quod certis personis datur, unice intuitu quali-

qualitatis personæ, propter quam indignum videtur, eas in carceres rapi, quin ne quidem ad actiones pertinet, sed ad executionem. Item beneficia militum, studiosorum, Clericorum &c. quæ nullis remediis juris admixta sunt, sed ad testamenta solum, immunitates &c. pertinent, & non nisi ratione conditionis personarum ordini concessa sunt.

§. XI.

Ad eundem modum cedi extraneis non potest jus protimeseos seu retractus gentilitii, quod non nisi sanguini & agnationi datum est. *Dn. Brunnemann, de Cess. Act. Cap. 4. n. 32. Dn. Lauterbach. d. l. pag. 328. & ibi alleg.* E contrario jus retractus conventionalis potest cedi, quia ex pacto, hoc autem regulariter reale est. *l. 7. §. 8. ff. de Pact.* Secus ergo si ad personas restrictum est. *Dn. Brunn. d. c. 4. n. 33.*

§. XII.

Ita usus naturâ suâ inseparabilis est à personâ, & individuus non minus, quam ipsa personæ necessitas §. 1. *de Us. & Hab. l. 19. ff. eod. tit.* Idem est in usufructu, quoad jus ipsum, cujus forma in factu personæ, naturâ inseparabili, consistit, *ut jam dictum per l. 66. ff. de Jur. dot.* Non quoad commoda ipsa quæ utique alienari possunt *d. §. 1. l. 12. §. 2. l. 38. l. 67. & pass. de Usufr. L. 8. §. ult. ff. de Peric. & comm.* Idem est in habitatione; non quia favor ejus est major quam usus; *Dn. Brunn. de Cess. act. Cap. 4. n. 28.* sed quia est pars usufructus, non usus ædium.

§. XIII.

Eadem ratione alimentæ personæ ad vitam sustentandam concessa ei coherent, adeoque in futurum nec alii cedi, nec ad heredes transferri possunt.

* (24.) *

l. 14. ff. de Alim. leg. l. 8. §. 10. in fin. ff. de Transact. Dn. Brunnem. d. c. 4. n. 26. 27. Nec magis interdictum de uxore exhibenda & ducenda, quod cohæret juri ac personæ mariti. *L. 2. ff. de lib. exhib. Uti interdictum de liberis exhibendis & ducendis, juri & personæ patris. l. 1. & seqq. ff. eod. tit.*

§. XIV.

Tales quoque sunt, operæ libertorum reverentiales; cum reverentia non nisi personæ patroni debeat; quod secus est de fabrilibus, quæ commo-
dari vel locari aliis possunt. *L. 9. §. 1. l. 16. §. 1. l. 23. ff. de Op. Dn. Brunnem. d. c. 4. n. 24.* Qua ratione nec Dominus nec servitia feudalia extraneo cedere potest; nisi causa ad ipsum quoque pertineat. *Vid. Per-Illustris Dn. Præses in Hypomn. Feud. Tit. 6. §. 23. Dn. Brunnem. d. n. 24.* Cum quo confundi non debet quæstio: an feudum ipsum seu directum dominium Dominus cedere alii possit? *de quo d. Hypomn. tit. 7. §. 12. Paulo aliter Dn. Brunnem. d. c. 4. §. 31.*

§. XV.

Idem recte quoque statuitur in beneficio Protimeoseos, quod Domino vendita emphytevis datur ex *l. fin. C. de Jur. Emph.* & in similibus beneficiis certis personis aut collegiis concessis, ut iis potius quam aliis vendatur. *Dn. Brunnem. d. c. 4. n. 29. & seqq.* qualia sunt *in l. 4. C. de loc. fund. civit. l. 1. C. de Metall.* Hæc enim favori personæ tantum tributa & affixa sunt, nec remediis aut causis adhærent.

§. XVI.

Atque ita omnia privilegia personalia, quæ tantum favore personæ tributa sunt, nec causis quoque cohæ-

coherent, pariter nec cedi possunt, nec ad heredes transferri. *S. 6. in fin. de jur. nat. gent. c. fin. X. de Re- script.* Qualia etiam sunt, quæ specialis concessionis vulgodicuntur, & ideo aliis mandari nequeunt. *l. 5. ff. de Jurisd.* Neque admittere possumus, quod Dn. Brunnemannus ait, imperium merum hodie & Jure Canonico mandari posse. *d. c. 4. n. 23.*

§. XVII.

In his igitur & similibus, utrumque jus concurrat, ut nec cedi possint, nec ad heredes transire, non quod ab altero ad alterum ducatur argumentum, sed utrumque à communi ratione infertur, quia soli personæ coherent: ut sæpe jam dictum.

§. XVIII.

Talia quoque esse privilegia pupillorum & uxorum, jam diximus *sup. §. 7.* At secus esse videtur in privilegiis fisci, *per l. fin. C. de Priv. fisci.* Et quidem speciale quid esse in fisco consentiunt, idque duplex (1) Privilegia fisci cedi posse *d. l. fin.* (2) Non tamen transferri nisi specialiter cessa sint. *l. 3. C. eod. tit.* sed de ratione laborant. Ea enim, quod fiscus non moritur, Dn. Brunn. *d. c. 4. n. 93. & seq.* rem non conficit. Sequitur enim inde, jus fisci perpetuum, non etiam cessibile esse; sed magis contra coherentere fisco. Sed & quod de speciali cessione dicitur, dubio non caret: Nam in *d. l. 3.* agitur de eo, qui fisco pro alio solvit, adeoque solutione jus seu nomen fisci extinguit, nihil autem per eam acquirit, nisi quid cessum fuerit.

§. XIX.

Existimamus itaque *d. l. fin.* loqui de privilegio pignoris; privilegia vero hypothecarum coherentere
D hypothecarum

hypothecis, & cum iis ad alios transfire & cedi posse, juxta §. VII. *supr.* Privilegia autem dotis & pupillorum non coherent hypothecis, quia ab initio tantum fuerunt mere personalia; uti de dote patet *ex l. 17. §. fin. l. 18. l. 19. pr. ff. de Reb. aut. jud. & de pupillis ex d. l. 19. §. 1. & ll. seqq. l. fin. ff. Tut. & rat.* Deinceps vero accessere hypothecæ legales. §. 29. *in fin. de Action. l. un. §. 1. C. de Rei ux. act. l. 12. §. 1. C. Qui pot. & de pupillis in L. 20. C. de Adm. tut.* His igitur non coherent privilegia, quæ ab origine sua personis tantum concessa, neque accessu novi beneficii, prioris natura originaria mutata fuit. Quod valde notabile videtur.

§. XX.

Sed & beneficia ecclesiastica fatendum est, non promiscue cedi posse; scil. cum res in Simoniam incidat. *c. X. de Transact. Dn. Brunn. d. c. 4. n. 25.* Cæterum ipsa sacra & quæ divini juris sunt, nec alienari nec cedi posse constat, sed ex alia causa sc. quia non sunt in potestate hominum *c. fin. X. de Pact.*

§. XXI.

Unde nec huc pertinet, quod actiones criminales ratione pœnæ quoque pecuniariæ, (nam de pœnis corporis & simil. constat) uti actiones populares cedi nequeant; id enim impedimentum non est in re sed in persona cedente; quia pœna illa publica & fisci est, de qua privatus pacisci nequit, uti de nulla re publica potest. *l. 7. §. 14. & l. 27. §. 4. ff. de Pact.* Fiscus enim posset cedere, & populares post litem contestatam possunt. *l. 12. pr. ff. de verb. sign.*

§. XXII.

Cæterum res litigiosas cedi non posse, notissimi juris est. *l. 2. l. fin. C. de lit. cont.* de quibus *Dn. Sande de Cess.*

Cesf. act. Cap. 5. n. 15. & late Dn. Brunn. d. c. 4. n. 3. & seqq.
Atque hætenus de iis quæ cedi non possunt

§. XXIII.

Ab eadem luce porro dispallefcit, quæ jura & actiones cedi possunt; scilicet cæteris paribus omnes, quæ non ita, ut dictū, personæ cohærent; modo observetur, quod *sup. §. V.* monitū est, cū causa cedenda est, & ceditur, cui beneficiū vel id quod in se personale est, cohæret, plerumq; dici beneficiū, seu quod personale videtur cedi, uti *§. 4. sup.* apparuit in restitutione minorum, & Scto Vellej. quæ sunt beneficia ætatis & sexus: quia sc. iis causæ illæ cohærent, vel ad eas pertinent. Ubi tamen iterum id salva pace, salvoque iudicio Doctissimorum Jctorum dissentientium, id nos statuere testamur.

§. XXIV.

Hinc igitur nulli ambigimus, actionem injuriarum æstimatoriam cedi posse. *Dn. Lauterbach. ad tit. de Hered. vend. pag. 327. & ibi alleg. Diss. Sand. d. tract. cap. 5. n. 11. Lenz. d. tract. c. 20. m. 8. Dn. Brunn. d. c. 4. n. 57.* Nec officit eam ad vindictam tendere, quæ quid personale, nec in bonis esse videtur: Causa enim quæ ceditur, est pœna pecuniaria, quæ hac actione petitur; & inde actio cedi dicitur; *sup. §. V. §. XXIII.* quæ & ipsa post litem contestatam incipit esse in bonis: ut nihil obstant. *l. 28. ff. de Injur. l. 32. ff. Ad L. Falc. nam & eventus futuri cedi possunt. l. 17. l. 19. ff. de Hered. vend. l. 3. C. de Donat.* quod ipsum quoque recte docet *Dn. Brunn. d. c. 4. n. 70.* sed quis jurabit, quærit prælaudatus *Dn. Brunne-mannus d. n. 57.* Resp. Principalis, qui cedit; quo facto alter, ut procurator in rem suam, id vindicat.

Hinc & querela inofficiosi cedi potest, quia causa, quæ ceditur, est hereditas: hæc enim rescisso per querelam testamento petitur; atque hinc querela recte ceditur, *juxta §. V. & §. XXIII. sup. Dn. Lauterb. d. l. Dn. Brunn. d. c. 4. §. 58. Diss. Sande d. c. 5. n. 12.*

Idem de actione ingrati, qua revocatur donatio; adeoque causa quæ ceditur, est res donata, quam cedi posse indubitatum est *d. §. V. & §. XXIII. sup. Dn. Lauterb. d. l. pag. 328. Dn. Brunn. d. c. 4. n. 59. Diss. Sand. d. c. 5. n. 13. Lenz. d. l. cap. 20. memb. 11.* Hæ itaque actiones similes sunt actioni injuriarum, idemque hætenus omnino in iis juris est: etsi aliud videatur *Dn. Brunn. d. l.*

Omnino igitur cedi quoque potest fideicommissum, etiam universale, *Dn. Lauterb. d. p. 328. & ibi alleg. Diss. Sand. d. c. 5. n. 25. & plurimi alii allegati à Dn. Brunn. d. c. 4. n. 46. quos & ipse sequitur d. n. 46. & seqq. usque ad n. 54. cum hac tamen moderatione, ut cessionem quidem valere doceat, sed cessionarium non posse vi cessionis heredem compellere, ut sibi hereditatem restituat. d. l. n. 49.* Verum id hic quæri non videtur: *ut mox:* Cedi ergo posse constat, quia causa quæ ceditur est hereditas fideicommissaria, quam dubium non est alienari & cedi posse. *Vid. sup. §. V. §. XXIII. Vid. & textus à Dn. Lauterbach. alleg.*

Nec quicquam repugnat; quod alii, quam cui testator voluit, restitui non possit: Nam non restituitur hereditas cessionario sed fideicommissario, etiam tum cum

cum cessionarius, quippe Procurator in rem suam, id petit. Sive igitur cessionarius directâ actione ex cessione agat contra heredem, utique nomine cedentis agit, & cedenti restitui petit, non sibi: sive utili actione, ex constitutione D. Pii, nomine quidem proprio agit, at ex causa tamen cessionis, adeoque non petit ex testamento sibi præstari, sed ex cessione. Cujus petitionis ea vis est primum, ut heres hac mente cessionario præstet fideicommissum, ut restitutum illud velit cedenti, *l. 37. pr. ibi: hac mente.* quo ipso in hunc non in cessionarium transferuntur ex restitutione actiones, quippe quæ in eum transeunt, etsi voluntate ejus alii restituerit. *per. d. l. 37. pr. ibi: Sed etsi voluntate.* Illa enim restitutio qualitercunque fieri potest, vel verbis, vel nudâ patientiâ, vel ratihabitione, vel per nuncium aut literas; pro ut hæc omnia disertissime exponuntur, in *d. l. 37. pr.* Tum vero deinde, vis hujus petitionis est, ut cessionario illud præstet ex cessione. Aliud igitur causa restitutionis, qua jus quasi directum quaritur cedenti; aliud causa cessionis, quâ effectus juris utiliter acquiritur cessionario, & utraque eadem petitione ex forma juris continetur.

XIX.

Hinc nec officit textus *in l. 59. §. 1. ff. de Jur. dot.* ubi uxori fideicommissum relictum fuit, & ejus voluntate præstatur marito: negaturque id fieri potuisse. Enim vero (1) Heres non restituit ibi fideicommissum, sed marito in dotem promittit. Restitutio igitur (2) uxori plane facta non fuit, neq; per ipsam, neque per maritum. Dotem autem (2) hæres promittere non potuit, sed uxor debuit in dotem dare, ut & ipsa repetere eam possit. Hinc (4) metus, ne

* (30) *
mulier videretur indotata, *verf. sed ne indotata.* Quin
(5) magis delegatio, qua jus mulieris extinguitur,
videbatur facta non cessio *d. §. 1. in fin.*

§. XXX.

Nec dubium igitur, quin & jus adeundi hereditatem aut se immiscendi cedi possit; causa enim quæ ceditur, est ipsa hereditas. *Vid. sup. §. XXIII.* Equidem Dn. Brunnemannus ait; non ita posse cedi, ut cessionarius heres videatur. Verum nihil hujus hic agitur aut intenditur; cessionarius enim non ex testamento aut lege petit, sed ex cessione; non ut intendat, se fore heredem, sed cedentem agnovisse hereditatem, eamque sibi cessisse. *d. §. XXIII.* Etenim, cum aditio nudo animo fiat, verbis vel facto heredem se declarando, heres vel ipsa cessione satis pro herede se gerit; cum eam cedere nisi heres nemo possit.

§. XXXI.

Pari ratione etiam Jura Primogenitura & Majoratus cedi posse certum est. *Dn. Brunn. d. c. 4. n. 68.* Ubi id communiter placuisse testatur; nam & hic causa, quæ ceditur, est successio Principatus vel Comitatus &c. quæ in alios transferri possunt. Equidem addit, videri Doctores ludere in voce cessionis, cum ætas personalissimum quid sit, nec cedi propriè queat. Verum ei jam satisfactum videtur *sup. §. V. §. XXIII.* sc. cesso tali jure, quod intuitu personæ datum videtur, sed causæ cohæret, idem esse, ac si hæc ipsa causa cum suo jure annexo, cessa fuisset.

§. XXXII.

Minime omnium vero credendum est, primogenitura cessa ætatem cedi: Aliud enim est ætas ipsa, aliud jus successionis illius ætatis intuitu concessum;

* (31.) *

sum; & hoc jus primogenituræ nomine hic venit, & hinc transmittitur quoque ad liberos primogeniti, et si hic præmortuus fuerit, excluso ejus fratre, et si natu majore. Et hoc ergo ceditur.

§. XXXIII.

Verum hæc cessio Primogenituræ &c. valet, modo (1) in habiles facta fuerit, non si in eos qui investitura prima comprehensi non sunt. (2) Non fiat in præjudicium alterius, cui jus potius jam quæsitum fuit (3) Nec ulterius effectum habet, quam ipse Primogenitus, ejusque heredes, qui factum ipsius præstare tenentur, jus habituri fuissent. Cæterum hæc per indicem tantum, nec hujus illa loci, sed majoris momenti sunt.

§. XXXIV.

De Jure annuorum reddituum quaritur, an à debitore, seu venditore, id est, ab eo qui redditus annuos præstat, alii cedi possit. *Dn. Lauterbach d. p. 328. remisf.* sed minus ut videtur, accuratè: non enim debitores dicuntur cedere, sed creditores. Neque debitor reddituum aliud jus habet, quam quod possit sortem restituere creditori, & sic ea solutione redditus liberare. In quæstionem igitur venire tantum potest, an ille alii committere possit, ut sortem solvat? Et certum est posse; sed ea assignatio esset, non cessio; neque per eam debitor liberatur nisi secuta solutione: Nuda itaque assignatio jus creditoris nihil immutat, nisi ipse alium debitorem expromissione receperit. Et, licet debitor ita alii committat solutionem sortis, ut ipse redditus annuos pro ea percipiat, nova hæc esset reddituum venditio; quæ tamen & ipsa jus prioris emtoris nihil mutaret, nisi soluta sorte: ante enim nec debitor liberatur à priore emtore, nec novus emtor agere potest.

* (32-) *

potest. *l. 13 §. 8. ff. de Act. emt.* Nihil igitur hæc quaestio ad cessionem. Cæterum creditorem redituum jus suum aliis cedere posse dubitari nequit.

§. XXXV.

Sic nec ambigi potest, quin privilegia hypothecæ tacitæ cedi possint, etiam quæ pupillis favore ætatis, & uxoribus favore dotis data sunt; etsi privilegia prioritatis, ut vocant, ipsis pariter concessa, non possunt; ut dictum *sup. §. XVIII. & XIX.* Hypothecæ enim sunt accessiones debiti principalis, eique cohærent, & cum eo ergo cedi possunt: Ita verè *Dn. Brunn. d. c. 4. n. 88.* Atque sic de hypothecarum privilegiis actum *d. §. XVIII. & XIX.*

§. XXXVI.

Quin & hoc placet, quod idem Jctus quoque tradit, hypothecas sine debito principali cedere posse; sc. ita, ut tanquam pignus pignoris valeat. *d. c. 4. n. 64.*

§. XXXVII.

Quemadmodum & jura arresti obtenti, interdita & c. cedi posse hæsitandum non est: cum sint remedia juris arbitrio actoris commissa, de quibus proinde, quatenus natura eorum non repugnat, libere disponere potest. De quibus & aliis quæ sæpe laudatus Jctus Beat. Dn. Brunnemannus *d. l. n. 69.* solita suâ industriâ ac solertia collegit & explicavit, judicium fieri ex prædictis facile poterit.

Quare causa non est, quod pluribus his immoremur. DE O vero O. M. grates persolvimus immortales pro beneficiis in nos collatis quam maximis. Precamur humillime, ut in posterum cæpta nostra fortunata esse jubeat, & quam nulli locorum denegavit, omni quoque tempore concedat gratiam. Benevolum Lectorem, etiam atque etiam rogatum volumus, ut omnia in meliorem interpretetur partem.

T A N T U M.

GENEroso IUVENI
ZANDERO SVO

S. P. D.

JO. FRANCISCVS BVDDEVS.

ITa ergo ostendis mi Zandere, spem illorum non fuisse irritam aut vanam, qui talem TE aliquando fore augurati sunt, ex quo patria resque publica commoda plurima, fructusque amplissimos percipere posset. Hos inter & me fuisse, non ignoras, qui ita iudicavi, cum primum mihi innotesceres. Excellentissimam enim ingenii vim, & mirificam cuncta recte diiudicandi facultatem, ardorem praterea proficiendi in bonis artibus singularem, & ad praelara quaevis impetum in TE deprehendebam. Quas animi dotes, à Deo ipso, natura arbitro, benignissime concessas, cum excitares ipse diligentia, litterisque animum excoleres & perpolires, recto itinere ad humanae sapientiae artem te contendere, demonstrasti. Jam itaque cum prope ab eo, quem tibi constituisti, sine absis, TVAQVE ad eam perducta maturitatem sint studia, ut exoptatos carpere fructus patria possit, id merito luculentio quodam comprobas specimine. Quae enim latent animi dotes, nec nisi illis, quibuscum familiaritas nobis intercedit, constant, proferende ea ratione in lucem sunt; ne ignorent qui rerum publicarum dispensandis satis praesunt, quorum opera utilis patriae rebus esse queat. Facis quoque id ea modestia, vt titulos, quos alii tam studiose ambiunt, deprecando, dignum tamen non hisce modo, sed longe majoribus quoq; honoribus te ostendas. Sapientissimos ea in re imitaris viros, qui vt nec appetunt, ita nec respuunt si ita aliis se inservire posse intelligant, honores, id unice dantes operam, vt omnium consensu iis digni censeantur. Dignū vero TE vt & hocce comprobas specimine, ita testes habebis academias illas litterarumque bonarum sedes, in quibus commoratus es, interq; eas Jenam nostram, vbi mecum ita vixisti, vt quos diligentiae modestiaeque

laude

laude *TECV*M comparem, paucos inveniam. Studiorum, quae in academiis pertractari solent emensus stadia, suscepto per Galliam, Angliam, Belgium, magnamque Germaniae partem itinere, quae ad augendam ac locupletandam & sapientiam & eruditionem faciebant, ubi que diligenter observasti, fructumque inde retulisti, quem pauci intelligunt. Quod meo iterum confirmare possum testimonio, ne parum mihi perspecta aut explorata me quisquam scribere existimet. Ex itinere enim isto redux, Jenam iterum reversus es, quod singularis, quo me prosequeris, amoris, interpretor documentum, *TVISQVE* mirifice me recreasti sermonibus. Per duodecim enim & quod excurrit, cum Parisiis commoratus eses menses, ea ibi didicisti, quae aliis, si per multos ibi degant annos, vix innotescunt. Arcana aulae, mores geniumque procerum, memorabilia urbis, statum regni, ecclesiae rei-que litterariae tam accurate tenes, ut de hisce omnibus te disferentem audire, jucundum aequae sit ac utile. Nec ullus temere eruditione aut meritis illustris inter Gallos est, quo cum amicitiam non contraxisti: cujus rei mihi facile fecisti fidem, multa de illis scitu digna mihi narrando. Coronidem igitur Studiis *TVIS* academicis nunc imponat *Viadrina* academia: testimoniumve illa temporis bene collocati perhibeat: perhibeat illud Magnus ille *COCCEJVS*, cujus singularia in rem litterariam merita, orbis quacunque patet eruditus, admiratur: ego vota addo gratulabundus, Deumque praepotentem supplex veneror, ut cuncta *TIBI* prospere & feliciter evenire jubeat, ut patriae sis ornamento, bonisque aliquando omnibus praesidio. Vale, mi *Zandere*, & mihi porro fave.

Jenae, die *XXVIII. Augusti*. Anno *MDCCIX*.



FLoribus ex variis ut colligat aurea mella
 Prospiciens homini, prospiciensque sibi.
 Montes Hyblaëos Apis & juga lustrat Hymetti.
 Tum per aperta fugax, tum per iniqua ruens:
 Haud secus iuisti doctum, ZANDERË, per Orbem,
 Essent ut Themidos cognita Sacra Tibi.
 Virtuti via nulla tuæ fuit inuia, cursum
 Non revocavit hyems, non Maris unda tuum.
 Vidisti toto divisos Orbe Britannos,
 Vidisti Batavos; Gallia visa Tibi.
 Nec non Helvetios, genus insuperabile bello,
 Illustrem Genevam visere cura fuit.
 Seditulus hausisti perdocta dogmata Jenæ
 Quodque Giesenses, Halaq; clara docet.
 Accepit tandem Doctum Viadrina Cathedra,
 Atque probat, tempus Te posuisse bene!
 Jure proinde Tibi summos decernit Honores
 COCCËJUS, tangens sidera summa Poli.
 Gratulor ex animo, Coccum quod tempora cinget,
 Commoda multa ferat! Gaudia mille ferat!

Ita Nobilissimo Domino ZANDERO
 Commenfali suo fvavisimo, de
 decretis summis in Utroque
 Jure Honoribus gra-
 tulatur

BARTH. HOLTZFUSS, D. & Prof.
 Theol. Ordin.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

In Nobilissimo Dominio V. N. D. N. R. O.
Commentarii in Iuribus
decessis Iuribus in Iuribus
Ius Honoris gra-
tulari
BARTH. HORNBERG. D. & P. R. O.
I. G. O. O. O.

988





ULB Halle

3


002 376 954



sb

VD 18







DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
CESSIONE EORUM
QUÆ AD HEREDES NON
TRANSEUNT, ET CONTRA,

QUAM
DIVINA FAVENTE GRATIA, 1709, 6
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRID. WILHELMO.
REGNI BORUSSICI ATQVE ELECTORATUS BRAN-
DENBURGICI HEREDE &c. &c.
EX DECRETO ET AUCTORITATE MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS
IN ALMA VIADRINA,
PRÆSIDE

VIRO PERILLUSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
DN. HENRICO COCCEJO,
JCTO CONSUMMATISSIMO,
AUGUSTI ATQVE POTENTISSIMI BORUSSIÆ REGIS
CONSILIARIO INTIMO, FACULTATIS JURIDICÆ ORDIN.
ET ANTECESSORE PRIMARIO,
h. t. REGIÆ UNIVERSITATIS PRO-RECTORE
MAGNIFICO ET FACULTAT. SUE DECANO,
DOMINO ATQVE FAVTORE SUBMISSO CULTU PROSEQVENDO,
Ad D. Sept. Horis ante- & pomeridianis An. MDCCIX.
Publico Eruditorum examini submittit

JO. FRIDERICUS ZANDER,
Stralfundenf. Pomeran.

FRANCOFURTI AD VIADRUM,
Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

